taté carnis ſequūtur. tꝑales delicias amplectunť. pro quib⁹ eter/
naliter cruciabunť. tales in inferno conquerenť ⁊ dicūt illō Tre.
.v. Defecit gaudiū cordis noſtri verſus ē in luctū chorus noſter
cecidit corona capitis noſtri ve nobis qꝛ peccauimus. ¶ Quarto
caput eius poſt decollationē fuit contumelioſe in diſco allatū Ma
thei xiiij. Miſit herodes ⁊ decollauit iohānem in carcere ⁊ allatū
eſt caput eius in diſco ⁊ hoc contumelioſe. ideo caput anime eius
glorioſe coronatum eſt in celis. vnde de eo poteſt exponi qđ dicit
Ecc. xlv. Corona aurea ſuper mitrā eius vbi alia tranſlatio hēt
ſuper caput eius expreſſa ſigno ſanctitatis ⁊ gloria honoris In h
qđ dicit corona perpende celeſtis glorie perennitaté. In hoc qđ
dicit aurea perpende ſpecioſitaté. In hoc qđ dicit expreſſa ſigno
ſanctitatis perpende meritū quo illam promeruit in hoc qđ dicit
Gloria honoris. perpende dignitatis ſublimitaté qꝛ eni hic ꝓ deo
morté temporalem ſuſtinuit. Ideo in celo eternam vitam inuenit.
Sap. v. Iuſti in perpetuū viuent ⁊c. ⁊ quia hic ex decollatione ei⁹
corpus deformatū eſt ideo anima eius in celo decorata eſt. yſaie.
lxi. Induit me dominus veſtimentis ſalutis ⁊ indumento leticie
circūdedit me ⁊ quaſi ſponſam decorauit me corona. ⁊ quia hic
bona opera fecit ⁊ ideo celeſtem mercedem ꝓmeruit. Sap. x. Red
didit deus mercedē laboꝝ ſanctoꝝ ſuorum ⁊ deduxit illos in via
mira. ⁊ qꝛ hic contumelias ⁊ opprobria ſuſtinuit ideo celeſtem ho
norem obtinuit. Ps. Magna eſt gloria eius in ſal. t. g. ⁊c. Rogem⁹
dominū vt per merita huius ſancti quē in hoc mundo benedictio
nibus preuenit ⁊ in celis eternaliter coronauit conferat nobis be/
nedictioné in preſenti ⁊ coronam glorie in futuro vt in ſuo regno
iocundari mereamur fine fine. Amen

¶ In Natiuitate beate Marie virginis. Sermo.

Beatam me dicent omnes generatiōes quia fecit mihi ma
gna qui potens eſt ⁊ ſanctū nomē eius Luce i. Dignū eſt
vt qui a deo percipit beneficiuꝫ rependat ei laudis preco/
nium ꝓpter qđ dicit ps. Benedic anima mea domino ⁊ noli obli
omnis re. eius. Ingratitudo eni eſt magnū peccatū. vnde deus in
crepans peccatoré de ingratitudine dicit. Deū qui te genuit dere.
⁊ obli. es domini crea. tui. Deu. xxxij. Hinc eſt ꝙ beata virgo re/
cognoſcens multa beneficia a deo ſibi preſtita referendo gratias

dicit beatã me dicent oẽs generationes ⁊c̃.In quibus ṽbis duo tã
gunt̃.Primũ eſt beneficiorꝫ dei virtuoſa efficientia. Scd̃m eſt ea/
fundẽ gracioſa influentia et eſt ordo prepoſterus.q2 eni ꝑus deus
ipſaꝫ repleuerat gr̃a ſingulari ideo ꝑ ꝯſequẽs debet merito lauda
ri.ꝑmũ ibi beatã me dicẽt omnes generationes.⁊ illud efficiũt dei
beneficia beate virgini impenſa.Scd̃m ibi q2 fecit mihi magna.ſ.
per gracie infuſionẽ.¶ Nota ꝙ dñs beate virgini fecit magna in
multis.Fecit eni ipſi magna in vtero ipaꝫ ſanctificando mirabilit̃
de vtero educẽdo vtiliter.a peccatis preſeruando viriliter.fecun/
dando ſingulariter.glorificando eternaliter. Primo dico ꝙ dñs
beate virgini fecit magna ipaꝫ in vtero ſanctificando mirabiliter
ꝑs.Magnus es tu ⁊ faciens mirabilia tu es deus ſolus. ⁊ ſequit̃
q2 miſericordia tua magna eſt ſuper me ⁊ er.a.meam ex inferno i/
feriori.hec verba poteſt dicere beata virgo referens deo gracias.
pro eo ꝙ ipam in vtero ſanctificauit.Magnus es tu ⁊ faciens mi/
rabilia Mirabile eſt quod rarum eſt.cõmune eſt omnibus homini
bus ꝙ in peccato originali naſcuntur.quia omnes naſcũtur filij
ire ꝫ ſi aliqui in vtero ſanctificant̃ hoc raꝝ eſt ⁊ mirabile ⁊ pauciſ
hoc collatum eſt vt Jere.de quo legit̃ Jere.i.Priuſq̃ꝫ te for.in vte
ro noui te.⁊ antequã ex.de vulua ſanctificaui te.Jſtud etiam col/
latum fuit iohanni baptiſte de quo dicit̃ Luce.i Spiritu ſancto
replebit̃ adhuc ex vtero matris ſue.Jllud etiaꝫ collatũ fuit beate
virgini Gregorius Q d̃ alijs ſanctis legim⁹ fuiſſe conceſſum nõ ẽ
fas credere beate ṽgini negatũ ⁊ Ber.dicit Fuit ꝑfecto beata vir
go ante ſancta q̃ꝫ nata.ideoq3 dicit.Magnus es tu ⁊ faciens mirabi
lia.⁊ ſequit̃ Miſericordia tua magna eſt ſuper me ⁊ er.a.meã ex in
fer. q.di.magnam miſericordiam mecum feciſti in hoc ꝙ me in v/
tero ſanctificaſti quia per hoc animã meã ex inferno liberaſti. quia
ſi beata virgo ante ſanctificationem in vtero mortua fuiſſet ad in/
fernum in quo ſunt pueri qui ſine baptiſmo decedunt deſcendiſſet
⁊ nunquam dei faciem vidiſſet. Ab hoc inferno deus eam eripuit
quando eam in vtero ſanctificauit quia ſi poſt ſanctificationẽ eiuſ
in vtero mortua fuiſſet licet anima eius deſcendiſſet ad limbuꝫ pa
trũ tñ ſi xp̃s p⁹modũ incarnat⁹ fuiſſet ⁊ paſſ⁹ ipi⁹ aiaꝫ cũ ſcis pa
trib⁹ liberaſſꝫ ⁊ ad celũ ꝑduxiſſet.Jdo merito gr̃as referẽs deo.dic̃
Mia tua m.⁊c̃.Attẽde o xp̃iane.ſileꝫ miaꝫ dñoi tibi de⁹ q̃uis ei ñ

ſanctificauit

ſanctificauerit te in vtero ſanctificauit tamen te in baptiſmo. ante
baptiſmū eras fili⁹ gehenne. nunc filius es celeſtis patrie. que fue
runt merita tua ꝓpter que deus te in vtero conſeruauit ⁊ incolu-
mem ad baptiſmū perduxit. certe nulla habuiſti merita ſꝫ deus ſꝫ
magnā miſericordiam ſuā ſaluū te fecit. Clama ergo ⁊ dic. Miſeri
cordia tua magna eſt ſuper me ⁊ er. a. m. ex inferno infe. In h̄ vide
licet ꝙ animā meam que propter originale peccatū diſpoſita erat
ad infernū per baptiſmū mundaſti ⁊ ad viam celeſtis patrie redu
xiſti. propter qđ ipſe dominus dicit Ezec. xxxvi. Cum ſanctificat⁹
fuero in vobis congregabo vos de vniuerſis terris ⁊ effundā ſu-
per vos aquā mundam. i. aquā baptiſmi ⁊ mundabimini ab om
nibus iniquitatibus vr̄is. ſic patet primū. ¶ Scđo fecit deus bea-
te virgini magna ipſam de vtero educendo vtiliter. ad hoc enī na-
ta eſt vt per ſuam humilitatē contereret dyaboli poteſtatē de ipſa ſi-
quidem ꝓphetatum fuit. Geñ. iij. Ipſa conteret caput tuū. hoc im
pletum eſt quando beata virgo per humilem reſponſionē dicendo
Ecce ancilla domini fiat mihi ſm verbū tuum. meruit concipere
humani generis redemptorē ⁊ dyabolice poteſtatis deſtructorem
Luce xi. Cum fortis armatus. i. dyabolus cuſtodit atriū ſuum. i.
mundū. in pace ſunt omnia que poſſidet quia nullus ante xp̄i icar
nationem poterat dyabolo captiuos quos duxerat auferre. Si aūt
fortior. i. chriſtus ſuperueniēs vicerit eum. vniuerſa arma eius au
fert in quibus habebat fiduciā ⁊ ſpolia eius diſtribuet. Chriſt⁹ enī
per ſuam paſſionē liberauit animas patrū de inferno. ideo iminēte
paſſione dixit Jo. xij. Nunc iudiciū eſt mundi nunc princeps hui⁹
mundi eijcietur foras. ad hoc beata virgo cooꝑata fuit. q̄tuꝫ ad
hoc ꝙ chriſtū genuit ꝓpter quod dicit̄ poteſtatē hui⁹ diaboli cō
triuiſſe. Ipſa enī prefigurata eſt per iudith. de qua dicit̄ Judith xiij
Benedicta tu a domino deo excelſo pre omnibus mulierib⁹ ſuper
terrā. benedictus dn̄s qui creauit celū ⁊ terrā qui te rexit in vul-
nere capitis inimicoꝝ q2 hodie nomē tuuꝫ ita magnificauit vt nō
deficiat laus tua de ore hominū. Laudem⁹ ergo beatam virgineꝫ
que hodie nata ē vt per ipſam mundus ſalutē quā per euā perdide-
rat recuperaret. vn̄ canit eccleſia. Hodie nata eſt beata virgo Ma
ria ex ꝓgenie dauid per quā ſalus mundi credētibus apparuit vn̄
Aug⁹ ad beatā virginē. Benedicta tu in mulierib⁹ q̄ vitā viris ⁊

mulierib9 pepiſti mater generis noſtri penā intulit mūdo mr̄ dei no
ſtri ſalutē attulit mūdo. Jdeꝫ eua occidendo obfuit. Maria viuifi/
cādo profuit. percuſſit illa. ſanauit iſta. ante ortū hui9 ꝟginis ma/
gnum opprobriū fuit mulieribus. qꝛ mulier mortē intulerat mūdo.
Jllud opprobriū certe mō ſublatū eſt per beatā ꝟginē Bern. Cur/
re eua ad mariā. curre mater ad filiā. filia pro matre rn̄deat. ipſa
mr̄is opprobriū auferat. qꝛ ecce ſi vir decidit ꝑ feminā. ipſe ꝟo nō
erigit̄ niſi ꝑ feminā ⁊ ideo natiuitas beate ꝟginis gaudiū attulit
mundo vn̄ canit eccleſia. Natiuitas tua dei genitrix virgo gaudiū
annunciauit vniuerſo mūdo ex te ortus eſt chriſtus de9 noſter ⁊c.
vſqꝫ ſempiternā. Angeli quoqꝫ gaudent de hoc feſto Legit̄ eniꝫ ꝙ
quidā ſanctus ſingulis ānis iſto die audiuitqꝫ angeli ſpeciale gau
dium habuerūt in celo ⁊ expertus fuit ꝙ hoc erat ideo qꝛ beata
virgo hodie nata fuit. nec mirꝝ ſi eni gaudiū eſt angelis ſuper vno
peccatore pe. agen. multomagis hodie gaudere debent qꝛ nata ē
illa per quā peccata erant delenda ⁊ ruina angeloꝝ reſtauranda
ſic patet ſcd̄m ꝑncipale. ¶ Tercio fecit dominus ei magna ipſam a
peccatis preſuando viriliter. hoc nunq̄ꝫ fuit collatū puro homini
ꝙ in hoc mūdo poſſꝫ ſic viuere ꝙ ꝑmaneret īmunis ab omni pec
cato veniali ſola beata ꝟgine excepta. vnde ſi omnes ſancti ⁊ ſan/
cte cōgregarentur ⁊ interrogaretur ab eis ſi peccatuꝫ non habe
rent q̄d aliud rn̄derent niſi qđ iohānes ait. i. Joh. i. Si dixerim9
qꝛ peccatū nō habem9 nos ipſos ſeducim9 ⁊ veritas in nobis non
eſt. de qua. ſ. virgine Auguſtin9 loquit̄ Cū de peccatis agit̄ nullaꝫ
prorſus haberi volo mentionē ⁊ Bernard9. Decuit reginā ſingu
lari priuilegio abſqꝫ omni peccato ducere vitam que dum peccati
mortiſqꝫ pareret peremptorem munus vite ⁊ iuſticie obtineret.
Magna ergo chriſtus fecit beate virgini in hoc ꝙ eam a peccato
cuſtodiuit immunē. vnde pſ. Quā magnificata ſunt opera tua do
mine omnia in ſapientia feciſti impleta eſt terra poſſeſſione tua. ⁊
Terra id eſt beata virgo de qua Pſal. Veritas de terra orta eſt ⁊
iuſticia de celo proſpexit. Jmpleta eſt terra poſſeſſione tua. id eſt
dei gracia per quam deus poſſidet animam. hac gracia beata vir
go Maria adeo impleta fuit ꝙ nulli peccato locus patuit. Jpſa
enim in prima ſanctificatione in vtero adeo impleta fuit gracia
quod deinceps non potuit peccare mortaliter et quod potuit vi/

tare omne

tare omne peccatū veniale tam in vniuerſali q̄ȝ i particulari ſicut
ꝗ fecit. In ſcd̄a vero ſanctificatione quando chriſtū concepit tan
tam graciā percepit ꝙ poſt modū nunq̄ȝ etiā potuit peccare venia
liter ⁊ ſic ſimilis fuit angelis. Magna ergo fecit deus beate v̉gini
ip̄am a peccatis viriliter preſeruando ⁊ ſic patȝ terciū principale
¶ Quarto fecit ei deus magna ip̄am fecundādo ſingulariter. Nō
ne ſingulare factum fuit ꝙ virgo concepit virgo peperit ⁊ pꝰ par
tum virgo permanſit. In hoc nec primā ſimilē habere viſa eſt nec
habere ſequentē. Certe iſtud priuilegiū eſt beate virgini tam ſingu
lariter collatū ꝙ nūq̄ȝ alteri collatū fuit in preterito nec deinceps
conferetur in futuro. Magna ergo fecit ei dominꝰ ip̄am fecūdan
do ſingulariter yſa. xij. Cantate domino quoniaȝ magnifice fecit
videlicet virginē fecundādo annunciate hoc vniuerſa terra exul
ta ⁊ lau. habitatio ſyon quia magnꝰ in medio t. ſanctus iſrl̄. Syō
interpretat̄ ſpeculū ⁊ ſignificat beatam virginē hanc oportet exul
tare ⁊ laudare q̄ concepit ſanctū iſrl̄. i. chriſtū ⁊ tamen permāſit
pura virgo ⁊ munda ſicut ſpeculū ſine macula Luce. i. Exultauit
ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatē ancil
le ſue ⁊c̄. Bernardꝰ. Dulcis permixtio virginitatis ⁊ humilitatis
nō mediocriter placet deo illa anima in qua ⁊ humilitas cōmen
dat virginitatē ⁊ virginitas exornat humilitatē. potes ſine virgi
nitate ſaluari ſine humilitate nequaq̄ȝ. q̄ ſine hūilitate audeo di
cere nec virginitas marie deo placuiſſet ſic patet quartū p̄ncipale
¶ Quinto fecit ei deus magna ip̄am glorificando eternalit̄ vn̄ ip̄a
in die ſue glorificationis potuit dicere illud. Judith xij. Bibā nūc
q̄ magnificata eſt anima mea hodie pre omnibꝰ diebꝰ vite mee. bi
bam inquit nūc potū ſupple me gaudio replentē ⁊ nunq̄ȝ deficien
tem ȝ eternaliter reficientē Iſtū potum ꝓpinat dominus de torrē
te voluptatis ſue ps. Inebriabunt̄ ab vbertate domus tue ⁊ tor. v
t. po. e. B potu xp̄s matrē ſuā in celis abūdantiꝰ pre omnibꝰ creatu
ris potauit nec īmerito. Dignū enī erat vt ⁊ filius in celis propina
ret matri ſue vinū eterne iocūditatis cui mater in terris de virgi
nali vbere propinauerat lac tempalis neceſſitatis vnde ip̄a poteſt
dicere illud Can. ij. Introduxit me rex in cellā vinariaȝ ordinauit
in me caritatem. Dignum etiaȝ erat vt ipſa de cuius oculis fluxe
rant iuxta crucem torrentes lacrimaȝ ⁊ turbationes ⁊ que plus

omnibus doluit de paſſione chriſti reciperet in celis torrentē volu
ptatis ⁊ exultationis ⁊ plus omnibus gauderet de chriſti glorifi
catione vt vere poſſet dicere ad filiū. Scđm multitudinē doloris
mei in corde m. cōſo. t. leti. animā meam. Dignū erat etiā vt que
plus dilexerat ⁊ plus gracie habuerat in terris plus diligeretur ⁊
plus gracie haberet in celis. Bernardus. Quantū gracie Maria
adepta eſt pre ceteris in t̄ris tātū in celis obtinuit glorie ſingularis.
Jdē ſi oculus nō vidit nec auris audiuit nec in cor hominis aſcē
dit que preparauit deus diligentibus ſe. quid preparat gignenti ſe
⁊ ſe pre omnibus diligenti vnde ipa ſignificata eſt per heſter que
interpretat̄ eleuata de qua dicit̄ heſter ij. Ducta eſt heſter ad cu
biculū Aſſueri regis. i. chriſti quia aſſuerus interpretatur beatitu
do ⁊ adamauit eam rex plus q̄ omnes mulieres. habuit graciam
⁊ miſericordiā coram eo ſuper omnes mulieres ⁊ poſuit dyadema
regni ſuper caput eius. ipa eni eſt regina celeſtis curie ſuper omēſ
que in celis ſunt. Nō ē talis katherina Agnes barbara Cecilia ⁊c̄.
imo ſunt omnes eius pediſſeque ſm qđ canit eccleſia de qualibet
virgine ſingulariter. Nunc inter virgines adducta ē poſt eā q̄ mr̄
eſt intacta virginū virginis maria digna eſt pediſſequa. De hui⁹
ꝟginis excellentia dicit̄ puer. vlti. Multe filie cōgre. di. tu ſupgreſ
ſa es vni. Rogemus hanc reginā vt nos indignos famulos ꝓdu
cat in ſuam familiā vt ſecum in regno ſuo eternaliter manere mere
amur. AMEN

In Exaltatione ſancte Crucis. Sermo.

Mihi abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri iheſu chriſti
per quem mihi mundus crucifixus eſt ⁊ ego mundo.
Gal. vi. Verba iſta ſunt deuote anime paſſionem chriſti
iugiter cogitantis ⁊ amore eius mundi delicias contemnentis.
⁊ ſm hoc in verbis iſtis duo deſcribuntur. Primo materia de
uotionis incitatiua cum crux chriſti cōmendatur. ibi Mihi autē
⁊c̄. Scđo effectus deuotionis inſinuat̄. ibi ꝑ quem mihi ⁊c̄. i. ꝑ c⁹
amore otemno mundū ſicut ille otempſit q̄ ſuſpēſus ē ⁊ crucifix⁹
Nō ſi ꝑ crucē ſaluari volu⁹ debe⁹. iiij. facē circa crucē q̄ xp̄s fecit.
P° debem⁹ exēplo xp̄i crucē portare tribulationes pacienter ſuſ
tinere ſcđo